Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3017
Quelle:
Copyright:

Et hi et illi ad *Eugenium* Ep. *Toletanum*, Seculumque VII. pertinent, habenturque in ejus Opusculis a *Jac. Sirmondo* editis *Paris.* 1619. 8. item in *Sirmondi* Opp. T. II. et *Bibl. PP. Lugd.* T. XII. p. 348. Post illos: *Incipit Supputatio Quam Supputauit Estra In Templo Salomonis Hierusalem.* Commentum simile illi, quod habes graece apud *Lambecium* L. VII. p. 240. quodque anglice versum excitat *Fabricius Cod. Pseudep. V. T.* p. 1162. *How all the year is ruled by the first day of January, if it fall on Sunday, Monday, Tuesday* &c. Nobis infit: *Si kl. Jan. fuerit dominica die biemps bona erit et uernus uentuosus et aestas sicca et uindemia bona erit et oues multiplicabuntur.* &c. Succedunt *Benedictiones Domus, Domus Novae, Aquae super segetes, Salis ad oculos Hominum, Oculorum, pro Dolore Partus, super fontem ubi aliqua neglegentia contigit, Putei Novi,* demum *super uasa reperta in locis antiquis*, atque hanc adscribam: *Omnipotens sempiterne deus insere te officiis nostris et haec uascula arte fabricata gentilium sublimitatis tuae potentia ita emundare digneris. ut omni inmunditia depulsa. sint tuis fidelibus tempore pacis atque tranquillitatis utenda. per* &c. Abhinc *Folium* excidisse videtur; in sequente enim ἀκεφαλως habetur Officium S. *Albani* Martyris notis musicis signatum, unde *Codicem* ad Dioecesin *Moguntinam* referre quis possit. Officium istud excipit *Benedictio Caerei* hujus initii: *Exultet iam Angelica Turba Caelorum* &c. pariter cum notis musicis. Deest hic περιοχη illa: *O certe necessarium Adae peccatum* &c. *o felix culpa* &c. quam in variis Exemplis saltem notis musicis carere observavit supracit. *Gerbertus* L. II. P. I. c. 6. Tum ad nugas reditur et primum occurrit Tabula *Ad Precauendam Lunam* sive Discrimen Dierum bonorum et malorum, quod diu infestavit Calendaria; dein: *Incipiunt Versiculi De Ægypciacis Diebus.*

Jani prima dies. et septima fine timetur &c.

Habentur hi *Versiculi* in Cod. *Tbuanae Bibl.* 615. teste *Ducangio* in *Gloss.* ubi multa veterum testimonia cumulantur, eos ita dictos ab *Aegyptiis* inventoribus. A *Cingaris* dictos putassem, nisi hi multo tardius innotuissent. Apud *Lambecium* L. VI. p. 118. Simile quid *Graece* inscribitur *Esdrae Prophetae.* In *Calendario* vero *Rom.* quod ille L. IV. p. 277. protulit, longe alii *Dies Aegyptiaci* adsignantur, quam quidem in *Versiculis. Fol.* 13. p. 2.

Incipit Ecce Sacri Rectus Baptismatis Ordo.